



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

12 Resigna[n]s beneficium sola intentione vt detur alteri in particulari, non est simoniacus, secus si intercedat pactum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



DECISIO XII.

**R**esignans beneficium in manibus ordinarij absque pacto, sed ex intentione ad effectum ut detur, & conferatur alteri in particulari, & ordinarij accepta resigna-  
 tione confert illi beneficium, non est simoniacus habendus; *in Nau. in Man. c. 23. nu. 103. & 107.* secus autem si interuenit conventio aut pactum, aut si procurator eius habet mandatum speciale ad sic paciscendum; tunc enim simoniam committit, & censuris iam inde à resignatione ligatur arg. cap. qui per alium, de reg. iur. in 6. & c. mulieres, de sent. ex. com. Nec prodest scientia ordinarij, quamuis esset Cardinalis; quia nullus inferior Papa auctoritate sua efficere potest, ut huiusmodi conventio non sit simoniaca.

DECISIO XIII.

*Ex consil. 12. alias 5.*

**C**onferens alicui petenti beneficium, & indubiè credens se debere eidem centum aureos, quos etiam petens certo credit sibi deberi; si ambo inter se conueniat, ut petens collatori beneficium debitum remittat, & remissione facta collator ei beneficium confert; quamuis postea utriusque constet collatorem nihil debuisse, simoniam tamen conventionalem committunt, eo quod interuenit traditio rei spiritualis facti mediante aliqua conventione, aut conditione, quæ iure non inest: c. quam pio. 1. q. 2. & c. fin. de pact. Ad simoniam autem sufficit voluntas studiosa emendi, vendendi, aut quaerendi aliquid spirituale per contractum non gratuitum, ex Gloss. in summa. 1. quaest. 1. qualem in hoc euentu interuenisse constat.

DECISIO XIV.

*Ex consil. 13. alias 1.*

**C**um simonia non solum committatur aliquid pro traditione rei spiritualis accipiendo, sed etiam recipiendo aliquid pro eo, quod est rei spirituali annexum: ex *Nau. in Man. c. 23. nu. 100.* Episcopus pro expeditione litterarum collationis beneficij tertiam partem fructuum illius accipiens, simoniam committit, quacunque constitutione aut consuetudine, quæ per Concilium Tridentinum sess. 24. c. 14. de ref. sublata est, non obstant.

DECISIO XV.

*Ex consil. 14. alias 36.*

**R**enunciatio beneficij simoniaca realiter ipso iure est nulla: ut colligitur ex Extraog. de simon. neque per talem renunciationem transferri censetur ius in eum, in cuius honorem facta sit: neque etiam vacat in præiudicium ipsius renunciantis: *Innoc. in c. cum vniuersorum, de rer. permut. parres tamen principales in Censuras iuris incidere iudicantur. Extra. 2. de simon.*

DECISIO XVI.

*Ex consil. 15. alias 70.*

**B**eneficium ecclesiasticum alicui inhabili, & indigno confertur procurans, adiecto inter eos pacto, ut is, cui beneficium collatum sit, illud postea renunciare, fructusque nepoti procurantis ei beneficium restituere teneatur, simoniam uterque tam procurans, quam conferens committit; & collatio beneficij huiusmodi indigno facta non valet, nec illi ius in beneficio acquiritur. Illud ff. ad l. Aquil. collatis tamen beneficij ex parte recipientis simoniaca non est, cum is, cui beneficium collatum sit, pactum inter conferentem & procurantem in initum ignorauerit, & simonia aliena non nocet eam ignorantem nisi quoad hoc, ut beneficium, cum prius eam ignoranti nisi quoad hoc, ut beneficium, cum prius eam rescierit, renunciare teneatur. 1. q. 4. c. iam itaque, & c. ex insinuatione, de ca. nobis, & c. de simoniace, de simon. Beneficium vero conferens, & procurans tali indigno dati, non solum peccant, ex c. Graue, de præb. & c. perpetuo de electio in 6. sed etiam ad restitutionem fructuum male per-

ceptorum, & male impensorum ab illo indigno, & inhabili tenentur, si beneficium recipients illos non restituat; quia omnis, qui est causa alicuius damni, sine qua illud non daretur, illud dare videtur, & saltem damnum non restituente principali auctore, restituere tenetur. c. si. de iniur. S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 7. & Nau. in Man. c. 11. num. 25. & cap. 17. nu. 17.

DECISIO XVII.

*Ex consil. 16. alias 66.*

**P**ensionarius habens facultatem transferendi pensionem, quam habet super beneficio a Pap. constitutam, & volens ut tenens illud beneficium illam redimat, transfert eam in quendam suum familiarem, ad id dolo malo inductus, eo pacto, ut ipse postea pretium redemptionis capiat, & illud primo pensionario tribuat, prius tamen facta iussione præfato familiari, ut interrogaret viros in ea re doctissimos, an id absque simoniae vitio fieri possit, aut confidenter per Pium IV. Extra Roman. 1564. & Pium V. Extra. Intolerabilis. edit. 1569. damna esse ut haberetur, ex *Nau. in Man. c. 23. nu. 109.* & responso ab eodem familiari reddito se viros in ea reperitissimos consuluisse, qui responderunt id esse licitum; nec peccat in huiusmodi translatione, quia credit bona fide id sibi licere, & consulens sufficienter peritos, qui hoc licitum esse affirmant, excusatur a peccato etiam si id quod sit, non sit iustum, sed lege humana prohibitum; c. Capellanus, de ferijs gl. & Panor. ab Innoc. in c. per tuas. 2. de simo. Anto. 1. p. tit. 3. c. 10. col. 6. & Nau. in Man. c. 27. num. 284. & 288. Neque simoniam ullam committit, quæ excommunicationem, aut aliam censuram ipso iure inducit, cum simonia, quæ excommunicationem ipso iure incurendam inducit, Extra. 2. de simon. solum de simonia in beneficio, & ordine commissam intelligitur, non autem super alijs rebus spiritualibus, vel eis annexis: ex Caieta. verb. excommunicatio c. 72. & Na. in Man. c. 27. nu. 106. & poinde pensionarios non ligat, cum pensio non sit beneficium nec appellatio beneficij veniat, e. quamuis, de præben. in 6. Cardin. in clem. 1. de sup. neg. præl. Hoff. in c. postulat. de rescript. Gigas, de pension. q. 1. & 18. Sed neque transferens pensionem per confidentiam in alium, confidentiam per Bullas prædictorum Pij IV. & Pij V. damnatam incurrit: Quia illæ solum simoniam circa beneficia commissam damnant, ut sic corruptela fiduciaria, siue confidentia mancipationis beneficiorum tolleretur. Et ita cum pensio res temporalis sit, arguere non licet a confidentia rei spiritualis, quale est beneficium, cap. Dilectus, de præben. ad pensionem, quæ est res temporalis, cum à diuersis, & separatim non fiat illatio. c. ad audientiam, de decim. & l. Papinianus, ff. de minori.

DECISIO XVIII.

*Ex consil. 17. alias 55.*

**P**rovisus a Papa, & impeditus ad instantiam pensionarij, qui habet pensionem antiquam super beneficio impositam expedire Bullas, antequam soluat pensiones decurtas eas sine simonia soluere non potest, ut expeditis Bullis possessionem capiat; Quia cum possessio beneficij sit res spiritualis, vel spirituali annexa, & simonia committitur dando aliquid temporale ad rem spiritualem, vel spirituali annexam acquirendam; Gl. in summa. 1. q. 1. & cap. 1. de inrepar. Quamuis liceat beneficiario dare aliquid temporale molestanti de facultate beneficiarii tam quæ sit, & possessio conferuando: Et pro iure spiritualis tam quæ sit, & possessio conferuando: c. dilectus 1. de simon. gl. in e. decimas. 16. q. 7. in verbo decimas, aliquid tamen temporale pro iure spirituali quaerendo, aut pro quaesito, sed nondum possessio, conferuando; dare non licet, ex Gloss. & Panor. in d. dilectus num. 4.

DECISIO XIX.

*Ex consil. 81. alias 82.*

**H**abens beneficium per renunciationem infectam confidentiam ante bullam Pij. Quarti, contra confidentias in beneficijs editam & relinquens illud ante editam Pij V. Bullam etiam Simonia conventionali infectum, Si factus promissos renuncianti soluat  
 K 3 lem